

Boethius

De institutione musica¹

Caput XXXXIV. Quid sit musicus

Nunc illud est intuendum quod omnis ars, omnisque etiam disciplina honorabiliorem naturaliter habeat rationem, quam artificium, quod manu atque opere artificis exercetur. Multo enim est majus atque altius scire quod quisque faciat, quam ipsum illud efficere quot sciat; etenim artificium corporale, quasi serviens famulatur. Ratio vero quasi domina imperat, et nisi manus secundum id quod ratio sancit efficiat, frustra sit. Quanto igitur praeclarior est scientia musicae in cognitione rationis, quam in opere efficiendi atque actu tantum, scilicet quantum corpus mente superatur! Quod scilicet rationis expers servitio degit, illa vero imperat, atque ad rectum deducit, quod nisi pareat ejus imperio, et expers rationis opus titubabit. Unde fit ut speculatio rationis operandi actu non egeat. Manuum vero opera nulla sint, nisi ratione ducantur. Jam vero quanta sit gloria meritumque rationis hic intelligi potest, quod caeteri (ut ita dicam) corporales artifices non ex disciplina, sed ex ipsis potius instrumentis cepere vocabula. Nam citharoedus ex cithara, vel tibicen ex tibia, caeterique suorum instrumentorum vocabulis nuncupantur. Is vero est musicus qui, ratione perpensa, canendi scientiam, non servitio operis, sed imperio speculationis assumit. Quod scilicet in aedificiorum bellorumque opera videmus, et in contraria scilicet nuncupatione vocabuli. Eorum namque nominibus vel aedificia inscribuntur, vel ducuntur triumphi, quorum imperio ac ratione instituta sunt. non quorum opere servitioque perfecta. Tria sunt igitur genera quae circa artem musicam versantur: unum genus est quod instrumentis agitur, aliud fingit carmina, tertium quod in instrumentorum opus carmenque dijudicat. Sed illud quidem quod in instrumentis positum est, ibique totam operam consumit, ut sunt citharoedi, quique organo caeterisque musicae instrumentis artificium probant, a musicae scientiae intellectu sejuncti sunt, quoniam famulantur (ut dictum est), nec quidquam afferunt rationis, sed sunt totius speculationis expertes. Secundum vero musicam agentium est genus poetarum, quod non potius speculatione ac ratione quam naturali quodam instinctu fertur ad carmen, atque idcirco hoc quoque genus a musica segregandum est. Tertium est quod judicandi peritiam sumit, ut rhythmos cantilenasque eorumque carmen possit perpendere. Quod scilicet quando totum in ratione ac speculatione positum est, hoc proprie musicae deputabitur. Isque musicus est cui adest facultas secundum speculationem rationemve propositam ac musicae convenientem, de modis ac rhythmis, deque generibus cantilenarum, ac de permixtionibus, ac de omnibus de quibus posterius explicandum est, ac de poetarum carminibus judicandi.

Beda Venerabilis

Musica quadrata seu mensurata²

- Musicus vero est ille qui ratione propensa non solum operis servitio, sed etiam speculationis imperio canendi scientiam ministrat. Quod si in aedificiorum bellorumque opere videmus, in contraria, scilicet, nuncupatione vocabuli, eorum namque nominibus velut aedificia inscribuntur, vel ducuntur triumphi, quorum imperio ac ratione sunt instituta, non quorum opere servitioque perfecta, unde metricae definitio sequitur. Musicorum et cantorum magna est distantia. Isti dicunt, illi sciunt quae componit musica. Nam qui canit quod non sapit, definitur bestia; unde versus:

¹ Boethius. De institutione musica // MPL. T. 63. Coll. 1196–1197. URL: <http://www.chmrl.indiana.edu/tml/6th-8th/BOEDIM1>

² Beda Venerabilis. Musica quadrata seu mensurata // MPL. T. 90. Coll. 920–922. URL: <http://www.chmrl.indiana.edu/tml/13th/BEDMUS>

Bestia, non cantor, qui non canit arte, sed usu.
Non verum cantorem facit ars, sed documentum.

- Utilitas autem ejus magna est, et mirabilis, et virtuosa valde, quae fores Ecclesiae ausa est subintrare. Nulla enim scientia ausa est subintrare fores Ecclesiae, nisi ipsa tantummodo musica: per eam rerum plasmatorem mundi collaudare debemus et benedicere, psallendo ei canticum novum, sicut sancti Patres nostri prophetae docuerunt. Nam divina officia, quibus ad sempiternam convocamur gloriam, per eam quotidie celebrantur. Et, testante Boetio, quod inter septem artes liberales musica obtinet principatum, nihil enim sine illa manet. Etenim ipse mundus quadam harmonia sonorum dicitur esse constitutus, et ipsum coelum sub harmoniae revolvi modulatione. Inter omnes enim scientias ipsa laudabilius, curialior, jucundior, laetior, amabilior esse probatur; nam reddit hominem liberalem, juncundum, curialem, laetum, amabilem; movet enim affectus hominum, provocat in diversum habitum, sicut in praeliis. Etenim tubarum concentus pugnantes accedit, quia quanto vehementius fuerit clangor, tanto fit animus velocior ad certamen. Quid multa? verum musica mortales hortatur ad labores tolerandos, et singulorum operum fatigationem vocis modulo consolatur. Turbatos animos musica recreat, quoniam dolorem capitis et tristitiam tollit, immundos spiritus humoresque pravos et languores depellit. Unde et utilis ad salutem corporis et animae invenitur, eo quod quandoque corpus infirmatur languente anima, et impeditur ipsa existente impedita: unde et causa ratio corporis fit saepe per curationem animae, et per aptationem virium suarum, et temperantiam suae substantiae locis convenientibus agentibus: sicut legitur de Davide, qui regem solavit Saulem a spiritu maligno arte modulationis. Ipsa quoque reptilia, necnon et aquatilia, verum et volatilia, sua dulcedine [923] musica consolatur; sed et quidquid loquimur, et venarum pulsibus commovemur, harmonia probatur esse, utilibus sociatum.
- Officium vero aliud habet practica, aliud theorica. Practica vero est harmonias componere et artem quae humanos possunt moveare affectus. Theorica vero est, in summa comprehendere cognitionem specierum harmoniarum, et id ex quo componuntur, et ad id quod componuntur, et qualiter componantur; vel est etiam officium figuram longas et breves, necnon corpora et mensuras eorumdem, qualitates et quantitates, similitudines et dissimilitudines proportionum, sonorum et vocum, et orthographiam cognoscere, et conservare, et regulariter eam describere, ita quod omnis cantus qualiscunque fuerit diversificatus, congrue per illam possit declarare.

Guido d'Arezzo Prologus in antiphonarium³

- Temporibus nostris . super omnes homines (:)
fatui sunt cantores!
In omni enim arte . valde plura sunt,
quae nostro sensu cognoscimus :
quam ea, quae a magistro didicimus.
Perlecto enim . solo psalterio (:)
omnium librorum lectiones cognoscunt pueruli.
[60] Et agriculturae scientiam: subito intelligunt rustici.
Qui enim (.)
unam vineam putare,

³ Guidonis "Prologus in Antiphonarium // Tres tractatuli Guidonis Aretini. Ed. J. Smits van Waesberghe. Buren: Knuf, 1975. P. 58–81. URL: <http://www.chmli.indiana.edu/tml/9th-11th/GUIPRO>

unam arbusculam inserere,
 unum asinum onerare . cognoverit:
 sicut in uno facit (:) – in omnibus similiter,
 aut etiam melius facere (:) –
 non dubitabit.
 [61] Miserabiles autem cantores . cantorumque discipuli!...
 Etiamsi per centum annos . cotidie cantent,
 numquam per se – sine magistro – unam,
 vel saltem parvulam – cantabunt antiphonam!

- [62] Et quod super omnia mala magis est periculosum, multi religiosi ordinis clerici et monachi psalmos et sacras lectiones et nocturnas cum puritate vigilias et reliqua pietatis opera, per quae ad sempiternam gloriam provocamur et ducimur, negligunt, dum cantandi scientiam, quam consequi numquam possunt, labore assiduo et stultissimo perseguuntur. Illud quoque quis non defleat, quod tam gravis est in sancta ecclesia error, tamque periculosa discordia, ut quando divinum celebramus officium saepe non deum laudare, sed inter nos certare videamur.
- [63] Vix denique unus concordat alteri, non magistro discipulus, nec discipulus condiscipulo. Unde factum est, ut non iam unum aut saltem pauca, sed tam multa sint antiphonaria, quam multi sunt per singulas ecclesias magistri.
- [64] Qua in re cum pro sua ipsi voluntate multa commutent, aut parum aut nihil mihi indignari debent, si a communī usu vix in paucis abscedo, ut ad communem artis regulam uniformiter omnis cantilena recurrat. Quoniam vero haec omnia mala et multa alia eorum culpa eveniunt, qui antiphonaria faciunt, valde moneo et contestor, ne aliquis amplius praesumat antiphonarium neumare, nisi qui secundum subiectas regulas bene potest et sapit ipsam artem perficere. Alioquin certissime erit magister erroris, quicumque non prius fuerit discipulus veritatis.
- [80] Illud tandem cognosce, quia, si vis in his notis proficere, necesse est, ut aliquantos cantos ita memoriter discas ut per singulas neumas modos vel sonos omnes, qui vel quales sint, memoriter sentias. Quoniam quidem longe aliud est memoriter sapere, quam memoriter canere, cum illud soli habeant sapientes, hoc vero saepe faciunt imprudentes.

Epistola Guidonis Michaeli monacho de ignoto cantu⁴

- Unde ego inspirante Deo charitatem, non solum tibi, sed et aliis, quibuscumque potui, summa cum festinatione ac sollicitudine a Deo mihi indignissimo datam contuli gratiam: ut quos ego et omnes ante me summa cum difficultate ecclesiasticos cantus didicimus, ipsos posteri cum summa facilitate discentes, mihi et tibi ac reliquis adjutoribus meis aeternam optent salutem, fiatque per misericordiam Dei peccatorum nostrorum remissio, vel modica tantorum ex charitate oratio. Nam si illi pro suis apud Deum devotissime intercedunt magistris, qui hactenus ab eis vix decennio cantandi imperfectam scientiam consequi potuerunt, quid putas pro nobis nostrisque adjutoribus fiet, qui annali spatio, aut si multum, biennio perfectum cantorem efficimus? Aut si hominum consueta miseria beneficiis tantis ingrata extiterit, numquid justus Deus laborem nostrum non remunerabit? An quia Deus totum hoc facit, et nos sine illo nihil possumus, nihil

⁴ Epistola Guidonis Michaeli monacho de ignoto cantu // MPL. T. 141. Coll. 423–432. URL: <http://www.chm1t.indiana.edu/tml/9th-11th/GUIEP>

habebimus? absit. Nam et Apostolus, cum gratia Dei sit id, quod sit, cantat tamen: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiae.

- Vidi enim multos acutissimos philosophos, qui pro studio hujus artis non solum Italos, sed etiam Gallos atque Germanos, ipsosque etiam Graecos quaesivere magistros; sed quia in hac sola regula confisi sunt, non dico musici, sed neque cantores unquam fieri, vel nostros psalmistas puerulos imitari potuerunt. Non ergo debemus semper pro ignoto cantu vocem hominis vel alicujus instrumenti quaerere, ut quasi caeci videamur nunquam sine ductore procedere; sed singulorum sonorum, omniumque depositionum et elevationum diversitates proprietatesque altae memoriae commendare. Habetis ergo argumentum ad inveniendum inauditum cantum facillimum et probatissimum, si sit, qui non modo scripto, sed potius familiari collocutione secundum morem nostrum noverit aliquem edocere. Namque postquam hoc argumentum cepi pueris tradere, ante triduum quidam eorum potuerunt ignotos cantus leviter canere, quod aliis argumentis nec multis hebdomadibus poterat evenire.

Micrologus⁵

- Illud praeterea scire te volo quod in morem puri argenti cunctus cantus quo magis utitur, coloratur, et quod modo displicet, per usum quasi lima politum postea collaudatur, ac pro diversitate gentium ac mentium, quod huic displicet ab illo amplectitur, et hunc oblectant nunc consona ille magis probat diversa; iste continuationem et mollitiem secundum suae mentis lasciviam quaerit, ille utpote gravis, sobriis cantibus demulcetur; alias vero ut amens in compositis et anfractis vexationibus pascitur; et unusquisque eum cantum sonoriis multo pronuntiat, quem secundum suae mentis insitam qualitatem probat.
- Haec pauca quasi in prologum Antiphonarii de modorum et neumarum formula rhythmice et prosaice dicta musicae artis ostium breviter, forsitan et sufficienter aperiunt. Qui autem curiosus fuerit, libellum nostrum, cui nomen Micrologus est, quaerat; librum quoque Enchiridion, quem reverentissimus Oddo abbas luculentissime composuit, perlegat, cujus exemplum in solis figuris sonorum dimisi, quia parvulis condescendi. Boetium in hoc non sequens, cujus liber non cantoribus, sed solis philosophis utilis est.

Aribo De musica⁶

De varia oppositione neumarum

Interdum saltatrix contra saltatricem, spissa contra spissam, quaternaria contra quaternariam, et caeterae contra aequivocales sunt constituendae. Interdum variandae, ut spissa contra saltatricem, vel quaternariam vel ternariam opponatur, vel spissa diapente contra diatessaron, ut laudabilis similitudo vel dissimilitudo discernere scientibus commendetur: qui non solum hoc sed neumarum proportionem requirant, ut triplex sit suavitas, una cantionis, quae comprobetur ab auriculis; secunda proportionis vocum et neumarum ac distinctionum, quae delectatio est rationis; tercia pulchrae similitudinis ac dissimilitudinis sex consonantiarum.

⁵ Guidonis Aretini Micrologus // Ed. J. Smits van Waesberghe, Corpus scriptorum de musica. Vol. 4. Rome: American Institute of Musicology, 1955. P. 79–234. URL: <http://www.chmli.indiana.edu/tm/9th-11th/GUIMICR>

⁶ Aribo De musica // Ed. J. Smits van Waesberghe, Corpus scriptorum de musica. Vol. 2. Rome: American Institute of Musicology, 1951. P. 1–72. URL: <http://www.chmli.indiana.edu/tm/9th-11th/ARIDEM>

Johannes Affligemensis

De musica⁷

Capitulum II

Quae utilitas sit scire musicam et quid distet inter musicum et cantorem

Videtur autem nunc congruum, ut quid utilitatis conferat musicae notitia brevi attingamus ratione. Tanto namque in musica quisque se reddit studiosiorem, quanto ipsam artem novit esse utiliorem. Musica una est ex septem artibus, quas liberales appellant, naturalis quidem quemadmodum et aliae. Unde et ioculatores et histriones, qui prorsus sunt illiterati, dulcisonas aliquando videmus contexere cantilenas. Sed sicut grammatica, dialectica et ceterae artes, si non essent conscriptae ac per praecepta elucidatae, incertae haberentur et confusae, ita et haec. Sciendum autem, quia ars ista haud infima inter artes est reputanda, praesertim cum clericis maxime sit necessaria et quibuslibet eam exercentibus utilis et iocunda. Quisquis namque incessanter ei operam adhibuerit et sine intermissione indefessus institerit, talem inde consequi poterit fructum, ut de cantus qualitate, an sit urbanus, an sit vulgaris, verus, an falsus, iudicare sciatur et falsum corrigere et novum componere. Non est igitur parva laus, non modica utilitas, non vilipendendus labor musicae scientia, quae sui cognitorem compositi cantus efficit iudicem, falsi emendatorem et novi inventorem. Nec praetereundum videtur, quod musicus et cantor non parum a se invicem discrepant. Nam cum musicus semper per artem recte incedat, cantor rectam aliquotiens viam solummodo per usum tenet. Cui ergo cantorem melius comparaverim quam ebrio, qui domum quidem repetit, sed quo calle revertatur penitus ignorat? Sed et molaris rota discretum aliquando reddit stridorem, ipsa tamen quid agat nesciens, quippe quae res est inanimata. Unde Guido pulchre in Micrologo suo sic ait:

Musicorum et cantorum magna est distantia.
Illi dicunt, isti sciunt, quae componit musica.
Nam qui facit, quod non sapit, diffinitur bestia.

et cetera

Capitulum XVI

Quod diversi diversis delectantur modis

Cum autem iam per multa exempla sit demonstratum quomodo tropi variantur quomodo etiam per ineptos cantores depravantur, hoc quoque de ipsorum qualitate subnectendum videtur, quod diversi diversis delectantur. Sicut enim non omnium ora eodem cibo capiuntur, sed ille quidem acrioribus, iste vero lenioribus escis iuvatur: ita profecto non omnium aures eiusdem modi sono oblectantur. Alios namque morosa et curialis vagatio primi delectat, alios rauca secundi gravitas capit, alios severa et quasi indignans tertii persultatio iuvat, alios adulatorius quarti sonus attrahit, alii modesta quinti petulantia ac subitaneo ad finalem casu moventur, alii lacrimosa sexti voce mulcentur, alii mimicos septimi saltus libenter audiunt, alii decentem et quasi matronalem octavi canorem diligunt. Quapropter in componendis cantibus bene cautus musicus ita sibi providere debet, ut eo modo quam decentissime utatur, quo eos maximime delectari videt quibus cantum suum placere desiderat. Nec mirum alicui videri debet quod diversos diversis delectari dicimus, quia ex ipsa natura hominibus est inditum, ut non omnium sensus eundem habeant appetitum. Unde plerumque evenit, ut dum quod canitur isti videatur dulcissimum, ab alio dissonum iudicetur atque omnino incompositum. Certe ego ipse memini, me cantiones aliquot coram quibusdam cecinisse, et quod unus summopere extollebat alii penitus displicuisse.

⁷ De musica cum tonario musica // Ed. J. Smits van Waesberghe, Corpus scriptorum de musica. Vol. 1. Rome: American Institute of Musicology, 1950. P. 43–200. URL: <http://www.chmli.indiana.edu/tml/9th-11th/JOHDEM>